



בשקב"ה

DISSERTATIO PHILOLOGICA  
DE  
ADSPERSIONIBUS  
HEBRÆORUM

CAPUT. I  
DE NOMINIBUS ADSPER-  
SIONUM.

§ I.



Inter attributa, quibus summum atque perfectis-  
simum Numen semet non solum cognoscendum, *Introitus.*  
sed & tanquam exemplar imitandum homini-  
bus proposuit, non postremum locum obtinet in-  
temerata ejus sanctitas. Unde Petrus ait 1 Pet.

I: 15. 16. Κατὰ τὸν καλέσανται ὑμᾶς ἅγιον καὶ αὐτοὶ ἅγιοι ἐν πάσῃ  
ἀναστροφῇ γενήθητε. Διότι γέγραπται. Ἅγιοι γένησθε ὅτι ἐγὼ ἅγιός εἰμι.

Coll. Levit. XI: 44. & XIX: 2. Et prouti ipse טהור עיני  
טהרות purior oculis, quam ut malum intueri queat, appellatur

Hab. I: 13. ita & omnis ille, qui spem communionis ejus animo  
concepit, jubetur ἀγνίσειν ἑαυτὸν καθὼς ἐκεῖνος ἀγνός ἐστι 1. Joh. III: 3.

& οἱ καθαροὶ τῇ καρδίᾳ beati prædicantur, quia Deum visuri sunt  
Matth. V: 8. Quod ipsum ex solo rationis lumine gentes

abundè cognoverunt. Hinc Deum non nisi casto & sordibus  
nullis inquinato animo seu, ut Cato ait, pura mente adeun-

*Deum castè  
colendum es-  
se & gentes  
noverunt.*

A